

IN MEMORIAM  
VIRI AMPLISSIMI  
CHRISTIANI MATTHIAE SCHROEDER.  
HAMBURGENSIS REIPUBLICAE  
MAGNIFICI CONSULIS



PUBLICÆ PIETATIS TESTIFICANDÆ CAUSA SCRIPSIT

**JOANNES CHRISTIANUS AUGUSTUS GROHMANN,**

PHILOS. DR. ET PROF. P. GYMNASII A. RECTOR PLURIUM SOCIET. LITT. SODALIS.

---

HAMBURGI, 1823.

TYPIS JOANNIS AUGUSTI MEISNERI, VENERABILIS SENATUS, GYMNASII ET JOANNEI TYPOGRAPHI.

---

**P**ietas et publica legum auctoritas commonent, ut aliquam certe summis et immortalibus immortalium virorum meritis impertiamus libationem. Quae enim justae ac debitae pro hominum pietate tribui solent laudes vitae multis eximiisque animi et ingenii virtutibus exornatae: has detrahi neutiquam par est piaefunctorum optime de hominum salute promeritorum memoriae. Est autem ex ipsis naturae legibus insita et innata humano animo ea vis ac dignitas, ut, quo magis quasi subierint radii solis ad alteram mundi partem collustrandam; eo magis etiam subeant pectori nostro incendanturque non solum pietatis sensus sed altioris etiam mundi desideria. Multum enim interesse quisnam non sentiat inter vana illa gloriae, inani rerum speciei posita

monumenta, quae ad terrena revocare magis animum quam avocare ab iis solent, et ea luctus et desiderii documenta, quae mirum in modum ex arctissimis sepulchrorum tumulis atque ex efflorescenti quasi eorum verna aetate animum extollunt ad superna coelestia et ad praestantioris et augustioris rerum ordinis cogitationem. Explicari quasi animum his cogitationibus solet ex arctioribus terrarum finibus et terminis ad divinam aeternae vitae et immortalitatis certissimam consolationem!

Indulgemus itaque huiusmodi moerori et obsequimur pietatis his commonitionibus ita, ut justam debitamque *Immortali Memoriae* aliqua certe sacra faciamus et ea quidem, quae, quantum sentio, nec a consilio, quo haec monumenta ponuntur, nec ab ipsis, quae praedicanda sunt, meritis et laudibus sint aliena. Summae enim et honorificentissimae laudationes summa quoque laudis ipsius humanitate et modestia condecoratae esse solent. Vita, quam enarraturi sumus, ita sibi ipsa maximae laudi, honori, decori fuit, ut magis enarrare, quam laudibus efferre, succincta magis oratione, quid sit exponere, quam in sepulchrali hoc monumento cumulare laudes et vanam fortasse captare speciem attineat.

CHRISTIANUS MATTHIAS SCHROEDERUS

d. xxx Januarii 1742 *Quackenbruci*, Osnabrucensis  
ditionis vrbe, patre natus est ANTONIO SCHROEDERO,  
mercatore haud minus propter morum probitatem  
et honestatem, quam ob fortunam fautricem claro;  
matre proba et honesta, *Anna e gente Cramerorum*.  
Nihil melius optatiusque in primo statim vitae in-  
gressu tenerae aetati obtingere potuisset, quam  
quod in ea collocata erat felicitatis parte, quae  
neque divitiis aut luxurie abundantior, neque do-  
mesticarum rerum curis angustior educandi insti-  
tuendique operam aut nimium juvaret aut difficilem  
nimis arduamque redderet. Quo solertius praecla-  
rae, quae in puero elucebant, animi ingeniique  
vires excolerentur; maximam curam habuerunt pa-  
rentes, tum ut optima quaeque domesticae vitae  
prostarent exempla, tum ut in molliori solo, quae  
spargerentur, semina altius latiusque radices agerent,  
tum ut ipsum alacrius pueri ingenium maturius  
primis iisque necessariis doctrinae et literarum  
elementis imbueretur. Paterna quidem vota bona-  
rum literarum, in quocunque tandem genere ex-  
ercere ingenium filius cuperet, maxime tamen ejus  
doctrinae, quae ad theologiam pertinet, studia

complectebantur, quippe pater exstimabat, eam vitam, quae accuratiori doctrinae innixa, suis veluti praesidiis, non alienis firma esset, quovis alio vitae genere longe esse praestantiozem. Quam ob rem paulo adultior filius latinis et graecis Lycei, quod in patria urbe florebat, scholis instituendus tradebatur, quo maturius adolescerent et maturescerent ingenii praeclaræ dotes.

Quid autem est, quod tanto animi ardore vota vel nuncupemus vel foveamus, cum tamen longe aliam haud raro ingrediendam viam commonstrent divinae providentiae consilia! Atque adeo quae levissima et minima in tam fortuito rerum occursu momenta videntur: gravissima sapientius existunt quasi monita et vitae auguria.

Sic juvenis SCHROEDERUS quum aliquando, factum id autem Anno 1760, fratris majoris natu, qui Bremæ locupletissima utebatur domo mercatoria, visendi desiderio commotus in hanc tam amplam et urbis et domus fraternæ venisset celebritatem, cum in tam frequentem mercium naviumque et subeuntium et exeuntium portum subito esset delatus: quid miramur, juvenis alacritatem mirifice fuisse excitatam hoc tam novo spectaculo, cum

fortunae quasi propellentis et reciprocantis vela videret, ut non posset non illico ex umbratili vita, ex solitario literarum contubernio prodire ad mercaturae tractandae tam uberem et laetabilem campum. Alea igitur jacta, commutata erant omnia pristinae vitae consilia. Vela illa fortunatissima felicissimae ineundae vitae erant praesagia.

Jam igitur immigrantem videmus SCHROEDERUM ex paterna domo ad fratris dilectissimi domicilium. Quid optimo cuique juveni, ut hoc moneam, patrios lares relinquenti et ad peregrinos tanquam peregrinanti ardentioribus precibus a Deo O. M. efflagitandum est, quam ut propitii obviam veniant amici, verum commonstrantes vitae tramitem, et imprimis ut peregrinantem juvenem in tam vario fluctuantium rerum mari nunquam non subsequantur placidae illae domus paternae vel innocentioris aetatis imagines et adhortationes! Quid igitur, inquam, melius contingere potuisset nostro SCHROEDERO, quam ut parentum e sinu migraret ad fraternam domum, a patriis laribus ad fraternae domus veluti patrios penates. Non opus est, hoc loco exponere pluribus, quam magna fuerit in hac fraternae mercaturae amplitudine literarum, quae ad commune

terrarum commercium pertinent, addiscendarum facultas, quam multiplex rerum usus, quanta denique, id quod haud extremo loco ponendum videtur, et quam prompta ad cultiorem vitam, morum elegantiam omnemque humanitatem praesidia et incitamenta. Sic plurium annorum spatium SCHROEDERUS commorabatur in hac fraterna domo, ita tamen ut paulatim se accingeret ad laetius ac illustrius stadium ingrediendum.

Sororia nimirum *Hamburgensis* portus et civitatis celebritas juvenem alliciebat, mox de illius ipsius prosperitate promeriturum. Accessit ad nos, primo statim adventu, id quod de tam praeclaris virtutibus sperare et exspectare licebat, receptus a *Mölleri et Tammi* domo mercatoria, cujus quidem multa et gravissima negotia plures annos summa cum laude administravit et amplificavit. In hac autem tanquam mundi emporio quam incredibilem auctum cepisse existimamus SCHROEDERI et rerum cognitionem et usum! Ab a. 1763 de mercatu suo ipsius nomine instituendo consilia agitavit eaque consilia exsecutus est paucos post annos ita, ut ipsa ejus commercii initia felicissimum sponderent progressum. Etenim ipsa pietas fraterni animi consecrasset haec initia

videtur. § Qui ipse antea tanto amore receptus fuerat Bremae a fratre majore, is pariter nunc recipiebat fratrem minorem haud minore amoris desiderio, initio quidem mercaturae docendae causa, paulo post omnium negotiorum socium. Sic ab uno ad alterum transierat nominis et fraterni amoris et pietatis tanquam haereditas. Quid autem religioni magis consentaneum est, quam ejusmodi animorum et studiorum consociatio.

Liceat autem ad interioris vitae domesticae, quam comparatam et stabilitam videmus, limen accedere. In matrimonium duxit SCHROEDERUS a. 1773 virginem eximiis et placidi animi dotibus praeditam, mercatoris tum nostrae urbis celeberrimi filiam, LUISAM MUTZENBECHER, e quo matrimonio prodiit laetissima duodecim liberorum proles. Ex his non paucos quidem, ut sunt res mortalium, et tenerioris et adultioris aetatis quasi flores abstulit: obitus praematurus, superstitibus tamen patri septem liberis, quorum nomina summae pietatis et honoris causa hoc loco afferre liceat:

JOANNA DOROTHEA, nupta mercatori FRIDERICO HEEREN, nomini et ob suam ipsius caritatem et fraternam dignitatem illustri.



CHRISTIANUS MATTHIAS — nomen non solum ob patriam memoriam, sed Senatorii etiam muneris, quo ornatum est, auctoritatem maxime celebratum.

ANTONIUS DIDERICUS —

JOANNES FRIDERICUS —

HERMANNUS ENGELBERTUS —

JOANNES HENRICUS —

GEORGIUS GUILIELMUS —

Quae nomina omnia, ne singulorum laudibus immoremur, tum ob insignem, quam prae se ferunt, liberalitatem, tum propter officiorum et munerum praestantiam Hamburgensi Civitati carissima et honorificentissima sunt.

Dignam igitur patriae memoriae et laetam conspicimus posteritatem, ita laetam, ut SCHROEDERO ipsi contigerit adeo esse fortunato, ut viginti trium nepotum videret novam sobolem. Si antiquioris, quam appellare solemus, religionis praecepta animo mecum reputo, non possum non admirari eam quoque virtutem et pietatem, quae tum matrimonii tum omnis posteritatis diuturnitatem et felicitatem repeteret a Dei singulari beneficio, a coelesti et divina quadam munificentia. Atque haud scio, an majori veneratione prosequi debeamus eum religionis

sensum, qui ad Deum omnia, quae vita habeat mortalium seu laeta sive acerba, referat ab eoque uno solo fonte omnia repetat. Nullus autem dubito, eam vitam tot tantisque felicitatis et domesticae vitae muneribus exornatam jure meritoque praedicare fortunatissimum religionis foedus.

Animi ingeniique, quae in SCHROEDERO maxime amabilem referebat imaginem, indoles erat ejusmodi, ut gravissimae et placidissimae virtutes in uno eodemque homine mirifico concentu consociatae et copulatae exhiberentur. Justitiam, temperantiam, constantiam adamabat et colebat; humanitatis, liberalitatis, benevolentiae officiis sedulam operam dabat; Deum O. M. ita reverebatur et sinu quasi fovebat, ut ad maximam in rebus terrenis beatitudinem, qua perfrui ei licebat, accederet summa altioris vitae felicitas. Tria enim, saepissime dictitabat divina fere voce *Immortalis Vir*, tenenda esse, primum ut bene, probe, honeste viveremus; alterum, ut benevolentiam, liberalitatem et ex socratico illo dicto, humanitatem non negligeremus; denique ut non modo Dei oblivisceremur nunquam, sed summi hujus et providi numinis nullo non tempore essemus bene memores.

Religionem non cognitionis modo et intelligentiae ope sed pia etiam fide et fiducia colendam esse, sapienter idem admonuit. Multa, etsi pro arctis humanae cognitionis dubia sint, credenda tamen esse et religionis pio cultu amplectenda. Quemnam enim oculorum acie divinum Dei numen unquam esse contutum! Cui contigisse, ut providentiam illam, spirantem et adspirantem per omnem omnino naturam, sensuum fortasse ope attigerit et perspexerit! Quem denique esse, qui divina summi numinis consilia, quamquam ubique clara et perspicua, mensura emetiri et numero comprehendere ausus fuerit! Multa, innumera, quae neque intelligi neque cognosci possint, in hac rerum mortalium esse historia saepius asseruit. Historiam enim non contineri ea modo serie, quae imperia, regna civitates, urbes, populos fato mortali parere ostendat, sed cerni potissimum in illa rerum, ex altiori quasi loco consideratarum, conformatione, qua certo certius intelligatur et appareat, generis humani historiam attingere altioris mundi portum, aperientem multo illustrioris ejusque immensae regionis litora. Quae praeclare dicta satis ostendunt, SCHROEDERI vitam pietatis, humanitatis et religionis

praeceptis fuisse maxime consentaneam et ab omni vana tum intelligentiae tum fidei cujusdam credulae specie alienam.

His igitur praestantioris sapientiae consiliis quum adsvetam innutritamque *Ejus* mentem videamus; non est quod addubitem, eam quoque recludere vitae domesticae partem, quae luctu et moerore quasi oblecta est. Quae enim est et esse potest terrenarum rerum conditio, nisi ut illis ipsis laetitiis et gaudiis insit quaedam termini et finis admonitio. Ita enim omnia constituta sunt, ut orientis et occidentis solis radii unam eandemque fere depingant imaginem et quae hodierno die pulcherrime floreat, crastino caduca emoriantur aut jam emortua sint. Post longam illam annorum seriem, cum optima valetudine uteretur dilectissima SCHROEDERI conjux, leviori primum morbo implicari coepit, qui magis magisque ingravescens neque ulli et solertiae et artis medicae solatio cedens tandem tam amatam et desideratam vitam ad immortales sustulit. Diem supremum obiit a 1813. — Quid est, quod dignum dignissimi amoris luctum longa oratione prosequamur! Humanitas enim habet suas quoque partes eique sua solvi debent officia. Quam adeo longa et

fortunatissime peracta annorum series animorum consuetudinem et necessitudinem contraxerat, credibile est, non potuisse absque acerbissimo dolore dissolvi. — Quam tenero amoris sensu conjux conjugem dilexerit et quam sollers is amor fuerit in anquirendis omnibus, quae afflictae illius valetudini succurrere ac leviori jam morbo mederi possent; uno id liceat argumento probare. SCHROEDERUS emit Conjugi amoenissimum praedium *Ruheleben* prope Ploenium, ut campestris aerae salubritas et coeli et terrae amoenitas recrearet dilectissimam lucem. Sed Parcae, invidiae illae sorores, non pepercere, ut quae vel optatissimae vitae fila abrumpant.

Quoniam autem in eo oratio versatur, ut placidiorem et amabiliorem, quae omnium omnino animos alliceret, SCHROEDERI indolem adumbret, silentio praeterire non possum hanc quoque admirabilem animi mansuetudinem, qua *in solatium afflictorum pauperumque natus factusque videbatur et levare omnium hujus generis curas et molestias allaborabat*. Ea enim jure meritoque dicenda mihi sapientia videtur, quae non alto, sed demisso supercilio et animo contueatur paupertatis, egestatis curas et aerummas, leniendis his gravissimis humanae vitae malis,

succurrendo et adjuvando, quocunque modo possit, intenta. Quam multae gratorum voces, quanta suspiria, quot lacrymae, tanquam optimum omnium monumentorum monumentum, secutae et comitatae sint *Immortalem* SCHROEDERUM ad ultimum omnis tranquillitatis taciturnum locum, verbis exprimi nec potest nec pro modestiae laude debet. Quis non fateatur, in perenni praestantissimarum virtutum corona perennem imprimis florere hanc liberalitatis, qua tot afflictos et egenos consolabatur, divinam lauream.

Ab a 1807 tot tantisque publicorum munerum et honorum officiis occupatus mercaturae negotia, quibus singulari industria et probitate praefuerat, cum hac ipsa optima haereditatis parte filiis natu majoribus tradidit jam sub ipsorum nomine administranda.

Ne tamen in privatae modo vitae laudibus subsistere videamur, breviter etiam attingenda sunt multa multorum publicorum honorum, officiorum et munerum ornamenta. In qua tamen hujus laudationis parte si nimium fortasse brevis pro rei amplitudine videar, indultum iri a benevolis lectoribus eo facilius spero, quo magis Schroederiani

nominis in eo genere claritudo supersedendum verborum multitudine monebat.

Multa profecto eaque praeclara egit et peregit *Vir Immortalis*, de omnibus *Reipublicae Hamburgensis* partibus optime meritis. Omnibus omnino civitatis nostrae honorificis muneribus et officiis ita perfunctus est, ut per omnes bene de communi salute merendi gradus ad summum usque adscenderet *Senatoriae et Consularis auctoritatis* fastigium. Optime promeritus est de administrandis et providendis illis rebus, que ad humanitatem ipsam pertinent, de *Orphanotrophii*, magnificentissimi et vere humanissimi nostrae civitatis aedificii non exstruktionem solum sed interiori etiam ejusdem institutione et administratione. Novum exstruebatur et perficiebatur a. 1785. Cui perficiendo operi dici non potest, quam provida cura, quanta prudentia *Vir Immortalis* consuluerit! Sed non aedificii modo dignitas, verum interioris etiam administrationis praestantia satis superque testificatur optimorum consiliorum sapientiam. Temporis decursu obsolescere solent leges et instituta, nova eaque meliora sunt instituenda. Ita prorsus et educandi instituendique ratio tem-

poris necessitatibus est accommodanda. Immortaliter promeritus est de omnibus his humanitatis officiis. Optime *Idem* meritus est de *publici commercii* rebus administrandis, de *aerarii publici* gravissimis officiis regendis. *Senatoris* munere perfectus est summa cum laude. *Consulatum* ita gessit, ut non tam ornatus ea amplissima dignitate, quam ipse eam ornare consiliorum amplitudine videretur.

Sed incidere in hanc consiliorum et honorum laetissimum cursum — quis non meminerit! tristissima et omnium nequissima tempora. Sub unius ejusdemque barbari imperio corruere et pessimum ire omnia. Excesserant, exulabant justitia, libertas. Nulla jura aut leges salvae et incolumes. Nulla senatoria dignitas, nulla consularis auctoritas, nulla publica salus, antiqua virtus nulla. Quid in hac tanta temporum injuria et iniquitate sperandum aut expetendum erat optimo cuique, nisi ut ex turbulentissimarum rerum fluctibus confugeret ad tranquillitatis et libertatis portum, ubi pro summa divini numinis providentia sperare et expectare liceret. Recepit se *Vir Immortalis*, cum jam vix libere sentire, ne dicam dicere liceret, ad



liberam, quam supra laudavimus, innocentiae sedem *Ruheleben*, animo recolens desideratissima praeteritorum temporum gaudia animoque amplectens praesentium rerum suavissima solatia, cum maxima dilectissimorum liberorum pars, patrem comitati essent ad haec tranquillitatis refugia.

Neque fallebat spes, quam *Vir Immortalis* sinu pectoreque fovebat, preces ad Deum O. M. missae exaudiebantur! Redibat mundi salus, redeuntis solis radii collustrabant pulcherrimam terrarum, regionum, populorum libertatem. Regna, imperia, civitates denuo liberae et liberatae. Jam igitur *Nostrum*, de antiqua *Hamburgensi Libertate* egregie promeritum, denuo promerentem videmus de restituenda et amplificanda Reipublicae salute, revocatum non solum omnium civium, sed suo etiam patriae ipsius amore ad dilectam civitatem.

Sic autem accedit Proh dolor! oratio post tam longam annorum, munerum et summorum honorum seriem ad extremum vitae finem et ultimum quasi honoris actum. Veniebat dies nobis lugubria, *Ipsi* ornamenta ferens, quae nulla dies auferet. *Septuaginta novem annorum senex* decessit e vita ad immortales d. vi. Julii 1821, magis leviori

somno, quam morbo correptus, senescentis magis aetatis beneficio obdormiscens, quam emoriens ex febre inflammatoria, quam ex fortuita refrigeratione contraxerat.

*Quam praeclara et praeclare acta vita! Condecorata honestatis, probitatis, humanitatis eximiis laudibus! Ornata ornatissimis munerum ornamentis! Conspicua immortalibus de omnium omnino civium salute meritis! Cara omnibus et aeternum desiderabilis!*

Quaenam memoria propter antiquam virtutem dignior inscribi potest in *Immortalis Viri* monumento, quam illustris illa Pomponii Attici:

*„Elatas est comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia.“*

---